



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

ctæ conuersationis elegit, ibique de rebus proprijs, & prædijs monasterium in ueneratione sanctæ Dei genetricis, & sanctorum Apostolum Petri & Pauli Apostolicâ auctoritate construxit. Illicque fratribus ad deseruiendum statutis, ipse etiam Domino seruiens, virtutum signis & doctrinæ, vitæque meritis satis clarus emicuit, ibique laborem huius vitæ consummans sepultus in pace quiescit. Hanc Abbatiam primus Otho Imperator, Henrici Regis filius, tempore Fulberti Episcopi habendam tradidit sanctæ Dei matris Ecclesiæ Cameracensium.

CAPVT XXIII.

S. Dionysij Abbatia Regalis, secundo lapide à Lutetia Parisiorum.

632.

Nobilissimi huius monasterij, in oppido eiusdem nominis hodie siti, fundator fuit *Dagebertus* Rex Francorum XI. qui ab anno 632. vsque ad annum 642. regnauit. Conditum est autem in honorem S. Dionysij, primi Parisiorum Episcopi, quem Dionysium Areopagitam fuisse uolunt. Huius sacræ reliquiæ, ut & S. *Ludouici* Gallix Regis, ibidem spectantur, pretiosissimis theris inclusæ, cum alijs plurimis. Visuntur ibidem tumuli marmore

morei omnium pænè Regum Gallia, quos non semel magna cum admiratione ipsi spectauimus, cum Lutetia negotiorum causa anno 1610. versaremur.

DAGOBERTI REGIS diploma.

DAgobertus Rex Francorum, vir illustrer omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Ducibus, Vicarijs, Centenarijs, Actoribus, Iudicibus, & cunctis in vniuerso regno Francorum principatum agentibus. Si ea quæ ad reuerentiam locorum sanctorum Dei, & tutamentum mancipiorum ad ea pertinentium attinere videntur regia censura decernimus, iuste quidem agere videmur: ac proinde nos habituros æternæ remunerationis apud Deum mercedem sine dubio speramus. Quapropter presentium atque futurorum sagacitas nouerit, quod ad petitionem Domini Chualdi venerabilis Abbatris & fratrum monachorum monasterij sancti ac beatissime peculiaris patroni nostri DOMINI Dionysij Martyris, vbi ipse Dominus in corpore requiescit vna cum suis præclaris socijs Rustico & Eleutherio Martyribus, de copulationibus

mancipiorum, seruorum & ancillarum, & eo-
 rundem sanctorum venerabilium Martyrum, &
 aliorum omnium vniuersaliter hominum in to-
 to regno à Deo nobis commisso consistentium,
 seu etiam nostrorum, seu quorumlibet hominum
 cuiuscumque dignitatis, ordinis, & potestatis
 exstiterint, hanc per hoc nostræ dignitatis præ-
 ceptum constituentem, sancimus, vt à modo per
 omnia seculi presentis futura tempora quicum-
 que mancipiorum siue seruorum, & ancillarum,
 presatorum Martyrum, siue masculus siue femi-
 na quæ alicumque pacto seu legitimo seu furtiuo
 complexu prolem genuerit, addiderit atque pro-
 pagauerit, ex tunc & semper absque participe
 vel diuisore quolibet irrefragabiliter ad supra-
 dictorum sanctorum Martyrum potestatem, cum
 omni prole sua reuocentur atque subdantur, &
 lege mancipiorum ecclesiasticorum sub presati
 Abbatis & successorum illius monachorum in
 iam dicto monasterio Deo seruientium ditionem
 perpetualiter mancipentur. Si quis verò contra
 hoc meæ maiestatis decretum præsumpserit, &
 quod amore iustitiæ decernimus infringent, &
 quoquo pacto violauerit; legibus arctatus, auri
 purissimi decem libras ac argenti probatissimi
 pondo viginti ad pensum nostri palatii sol-
 uere cogatur, & eorundem mancipiorum, si
 liber est, teneatur; si verò seruus idem soluat, &
 centum quinquaginta ictibus in publico coram
 iudi-

inducibus feriat. Vt verò hoc nostræ præceptionis decretum inconcussum permaneat, atque plenorem vigorem accipiens inuiolabiliter per futura tempora conseruetur, nostræ dignitatis anulo insigniri præcepimus. Datum anno decimo regni Domini nostri Dagoberti gloriosissimi Francorum Regis. Dado regia dignitatis Cancellarius recognouit, legit & relegit.

Ceterum Dado iste idem est qui S. Andogenus Polomagensis Archiepiscopus, Dagoberti olim Regis Cancellarius.

De huius monasterij primis initijs ita legitur apud Sigebertum in Chronico.

ANno 629. Dagobertus iram patris sui Lotearij Regis meritis, quia consiliarium eius cœsum & detonsum dehonestauerat; Parisijs ad Ecclesiã S. Dionisij confugit, & quia inde nullo modo extrahi potuit, locum illum semper cordi habuit. Ita Sigebertus. Et hac de causa sancto Dionysio deuotus, monasterium illi fundauit solemnissimum, sanctorum Martyrum memorias auro, & gemmis pretiosissimis adornando. Ita Chronicon Bertinense manuscriptum.

{:o:}

